

*gung. Das Stück enthält Hinweise auf mögliche Deperdita, sofern die Verleihung des Burglehens an Wignand von (Alt-)Hirschstein bzw. dessen Auflassung und die Vergabe des Zinses in Paltzschen ebenfalls beurkundet wurden; vgl. dazu die in der Vorbemerkung zu Nr. 3 genannten Beispiele für die Beurkundung solcher Rechtshandlungen.*

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thur(ingie) langravius | et Sax(onie) comes palatinus omnibus imperpetuum. Cum diuturna temporum vetustas rerum gestarum oblivionem inducat | multociens et errorem, dignum est et consentaneum rationi, ut quibuslibet factis piis et salubribus per scripti testimonia succuratur<sup>a)</sup>, ne ex defluxu temporum oblivionis caligini involvi valeant et sic postmodum | permutari. Eapropter notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod saluti proprie intendentes domum | hospitalis in Misne propter deum et ad instanciam domini Wignandi de Herstein respeximus oculis pietatis | dando eidem cum consensu filiorum nostrorum<sup>1)</sup> iure proprietatis ad resignationem dicti militis illum censum, | scilicet XXII solidos, qui de alodio<sup>a)</sup> sito in Colonia apud Misnam, quod possidet Henricus de Martburc, annis | singulis persolvuntur. Et quia dicti denarii Misne ad castrense feodum pertinebant, in eorum restaurum recepit | XXII solidos Misne ad castrense feodum in villa Polzen de suo iusto feodo idem miles. Recognoscimus etiam, | quod XVIII denarios de tribus areis, in quibus dictum alodium<sup>a)</sup> est constructum, similiter ipso iure contulimus | eidem hospitali imperpetuum possidendos. Ut autem huiusmodi nostra donatio liberaliter a nobis et pueris nostris | facta eidem hospitali stabilis postmodum perseveret, super eadem sibi dari iussimus in testimonium presens scriptum | sigilli nostri munimine roboratum. Datum Kozzebude anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LV<sup>o</sup>, VI<sup>o</sup> nonas maii, XIII<sup>e</sup> indictionis. | Huius rei testes sunt clerici dominus maior prepositus Misnensis, prepositus Cristoforus de Hagin<sup>2)</sup>, dominus Iohannes Misnensis | canonicus, Iohannes Misnensis vicarius, dominus Lutegerus capellanus, Conradus Budisinensis canonicus, Nicolaus notarius domini prepositi | maioris Misnensis, Albertus plebanus de Marcgreuhain, milites dominus Iohannes burgravius de Witin, dominus Wig|nandus de Herstein, dominus Heidenricus de Gana, dominus Conradus de Luppe, dominus Cristanus de Buntinse, | dominus Burgoldus de Elsterberc, dominus Matheus, Henricus de Muzswiz et alii quam plures.

(SP.)

## 129.

*Graf Hermann (I.) von Henneberg bezeugt als amtierender Landrichter (in Stellvertretung seines Halbbruders, des Markgrafen Heinrich von Meißßen), dass Graf Heinrich (III.) von Schwarzburg Güter in Goldbach, die der Konvent des (Zisterzienserinnen-)Klosters (zum hl. Kreuz) in Gotha von Ludolf von Stottern-*

128. a) sic A.

1) Albrecht (\* 1240) und Dietrich (\* 1242); vgl. dazu Nr. 11, Anm. 15.

2) Er ist identisch mit dem markgräflichen Notar Christoph, der hier erstmals als Propst von (Zscheila-)Großenhain erscheint; vgl. zu ihm Nr. 1 (Vorbemerkung) sowie Nr. 9.